



EXAMEN
Censurarum MARC. FRID. WENDELINI,
D. LEONHARDI HUTTERI,
b. m.
**COMPENDIUM
THEOLOGICUM**

Perstringere, & in multis locis, falsitatis, & ἐπεργ-
δοξίας, accusare conatus fuit;

*In Disputationibus publicis
adornatum,*

quarum primam præliminarem

de

Everso à Calvinianis fundamento fidei,

sub PRÆSIDIO

GEORGII MOEBII, SS. Th. D.
& Prof. Publ.

defendet,

M. CHRISTOPHORUS Wittig/ Lipsiens.
SS. Theol. Baccalaur.

in Auditorio Paulino, horis antemeridianis

die XXII. Mart.

ANNO CHRISTI M. DC. LXX.

54.

LIPSIÆ,
Typis JOHANNIS WITTIGAU.



11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

11

22

se, & suis Doctoribus amoliri tentavit *VVendelinus*. Ea de causa
brevem apodixin præmisit istis locis Theologicis, & per singu-
las quæstiones, & locos ostendere tentavit, se minime fundamen-
tū læsi reos esse, propterea quod passim nobiscum consentiant. Ipsius
conatus autem meritò quivis, qui librum hunc rectè inspexerit,
miratur. Nam in plurimis suis Censuris orthodoxam nostram
doctrinam perstringit, & falsitatis arguit, ut deinceps videbimus;
imò sæpiissimè consensum fingit, ubi manifestus est dissensus.

Cùm verò isto in libro hoc agat *VVendelinus*, ut justam accusati-
onem illam non tantùm à suis amoliri conetur, sed etiam passim
B. Hütteri Compendium Theologicum in plurimis quæstionibus fal-
sitatis, & heterodoxias accuset, hinc juxta *Pauli* monitum *Tit. 1. 9.*
ἀντιλέγοντας ἑλέγχειν, & sanam nostram doctrinam juxta *παππωσιν ὑγιαγνόντων λόγων*, *2. Timoth. I, 13.* ab ipsius strophis, & iniqvis
censuris bono cum Deo, vindicare decrevimus. Professoribus e-
nim, & Doctoribus Th. in Academiis in primis incumbit, ut non
tantùm lac puri verbi divini studiosæ juventuti instillent, sed etiam
omnes venenatas lacunas ipsi ostendant, ne à falsis Doctoribus se-
ducatur, & animas suas periculo exponat.

Examinabimus igitur ipsius Censuras per singulos locos, & ad
veritatis lance appendamus. Ab initio autem in genere *VVendelino*
ostendamus, *Calvinianos læsi fundamenti omnino reos esse*, & fun-
damentum fidei jamdudum evertisse.

Dum autem hoc facimus, Deum precamur, ut *Spiritus S. gratia*
nobis adfit, quò etiam hic labor noster cedat in ipsius divini Nominis
gloriam, Ecclesiae emolumentum, & errantium salutem!

C A P. I.

Ostendens, *Calvinianos læsi fundamenti omnino reos esse*, & fundamentum fidei jamdudum evertisse.

§. 1.

Quò in controversiâ hâc pertractandâ dextrè, & dilucidè proce-
damus, terminos ab initio explicabimus. Dicendum itaque
1. quid sit fundamentum; 2. quotuplex; & 3. quodnam *Calviniani*
evertant. Fundamentum vel à verbo fundare, vel à nomine fundi-
ductum est, quod in insimâ structuræ parte, seu fundo collocari so-
let.

leat; cui postmodum reliquæ structuræ imponuntur, & fundantur. Græcis appellatur Βασις, vel θεμέλιον, quasi pedem, aut posteriorum totius operis exstruendi, aut exstructi dicas. Hebreis יסוד ויסיר, vel יסיד à יסור fundavit.

§. 3. Vox *fundamenti* autem in scripturis sumitur *vel propriè*, pro infimo quasi pede, quo tota structura nititur, ut fundamentum in ædificio, *Luc. XIV. 29*; fundamenta templi, quod post solitam captivitatem Babyloniam reædificatum est, commemorantur, *Esdr. III. v. 6. 10. 11.* &c. item fundamenta *carceris Philippensis*, terræ motu concussa sunt, *Act. XVI. 26.* vel *impropriè*, & hinc variæ acceptiones. Sumitur enim sæpè sic pro *initio*. Quia enim in structura ædificii fundamentum primum poni solet, hinc istæ phrases, à *jactis mundi fundamentis*, id est, ab eo tempore, quo mundus est conditus, *Hebr. IV. 3. & IX. 26.* Confer *Job. XVII. 24. Eph. I. 4. 1. Petr. I. 20.* Deinde sumitur *pro singulari robore*. Hinc fundamenta terræ robustissima, appellantur *montes*, vel *rupes*, *Mich. VI. 2.* item fundamentum Ecclesiæ, quod est *Christus*, *I. Cor. III. v. 11. 12.* Alias jam mittimus significations.

§. 4. Ex his autem variis significationibus *triplex* nonnulli colligunt fundamentum, ut *aliud sit structuræ, aliud creature, aliud deniq. Ecclesiæ*. Illud artificiale, istud naturale, hoc spirituale vocare possumus.

§. 5. Non de prioribus, sed de posteriori nobis jam erit sermo. Hoc autem spirituale fundamentum aliis appellatur fundamentum fidei, quia fides nostra, si vera, & firma esse debet, necessariò fundamento solido superstrui debet. Firmo igitur manente hoc fundamento, etiam fides inconcussa, & firma perstat; læso autem, aut cädente hoc, etiam fides læditur, aut cadit.

§. 6. Hoc verò fidei fundamentum cum *D. Nic. Hunnio in diaconē* p. 59. *triplex* agnoscimus, videlicet. 1. *Essentiale*, seu *substantiale*, quod est Deus Trinunus, ut prima causa fidei; 2. *Organicū* seu *ministeriale*, quod est Dei verbū, seu *Script. S. 3. Dogmaticū*, seu *doctrinale*, quod est prima illa cœlestis doctrinæ pars, quæ ad nullum aliud dogma referatur, ut ejus gratia revelata, sed ad quam cœtera omnia dogmata, tanquam propter ipsam revelata, referuntur, & ex quam, ut sufficiéte, ac immediatâ causâ fides resultat.

§. 7. Jam quæritur; quodnam fundamenteum Calviniani ex his tribus evertant? sunt, qui statuunt, illos fundamento fidei evertere in quinque principalioribus capitibus, quæ in nostro Catechismo recensentur, videlicet in Decalogo, Symbolo Apostolico, Oratione Dominica, Sacramento baptismi, & Sacramento altaris. Hanc sententiam e quidem non improbamus, attamen quodammodo eam rem dilucidius, & distinctius ostendamus, dicimus, illos triplex adductum fundamentum fidei evertere. Demonstramus hoc ita:

Quæcunq; cætus circa fundamento fidei 1. Substantiale, 2. Organicum, 3. Dogmaticum non rectè docet, & vera dogmata impugnat, ille fundamento istud triplex subruit, & fidei generandæ reddit inutile.

Atqvi cætus Calvinianorum circa fundamento fidei. 1. Substantiale, 2. Organicum 3. Dogmaticum non rectè docet, & vera dogmata impugnat.

Ergò fundamento istud triplex subruit, & fidei generandæ reddit inutile, ac per Consequens læsi, & subversi fundamenti omnino est reus.

§. 8. Major patet, quia per falsam doctrinam fundamento, cui fides superstrui debet, omnino subruitur, & evertitur. Fides enim certo fundamento nisi debet, alias nunquam erit firma. Hinc si dogma aliquod falsum, tanquam fundamento ponatur, aut verum aliquod dogma ad fundamento fidei concurrens, sive directè, sive per consequentias negetur, & impugnetur, fundamento subruitur. Negatio enim, & oppugnatio talis, nihil aliud est, quam fundamentali eversio.

§. 9. Hic autem notari debet, cum fidei fundamento labefactari, aut tolli dicimus, id nequaquam de reali eversione, quâ fides & fundamento ejus, seu dogmata fundamentalia è mundo tollantur, atque adeò nec Deus, nec Christus, nec fides amplius existet, sed mentali intelligendum esse, quæ in animo hominis increduli, aut hereticici fieri solet. Nam illo modo omnia dogmata salva manent, et nullus ea credit, aut fide amplectatur; Hoc verò non illa tantum, sed ipsa etiam fides in mente hominis destruitur, dum vel nihil credit, vel non debito modo credit.

§. 10. Minor, quæ trimembris est, per singulas partes à nobis pre-

probabitur. Ostendendum itaque nobis est, I. Calvinianos circa fundamentum fidei substantiale non recte docere, & vera dogmata hic impugnare. Per fundamentum fidei substantiale uti antea diximus, intelligimus Deum Trinum, tanquam primam causam fidei. Hoc itaq; fundamentum, ceu prima causa fidei à corde hominum concipitur, in quod fiduciam suam collocet, & ex cuius misericordia æternam salutem expectet. Jam ita colligimus: Quicunq; afferunt, Deum absoluto quodam odio maximum hominum partem reprobasse ad damnationem, illi circa fundamentum fidei substantiale non recte docent, sed illud evertunt. Ratio est, quia Deus vult, ut omnes homines salvi siant, 2. Timoth. II, 4. negat, ut nullus pereat, sed ut omnes ad penitentiam convertantur, 2. Petr. III, 9. Confer Job. III, 16. Rom. XI, 32. Imò summo bono non convenit irasci, & odire, antequam iniqitas, ac malum culpæ intelligatur præcessisse.

Quomodo nunc fides tali fundamento nisi peteat, à quo salus animæ, respectu omnium non dependet? imò à quo odium evibratur in maximum hominum partem?

Atqui Calviniani afferunt, Deum absoluto quodam odio maximum hominum partem reprobasse, non solum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis. Ergo.

Minor patet ex ipsorum scriptis. Ita enim Beza Part. ad Colloq. Momp. p. 194. Hoc dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut volitus sit Deus singularum miserationis. Calvinus I.3. Instit. c. 21. sect. V. p. 327: Non pari condizione creantur omnes homines, sed' aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna præordina- tur. Confer etiam c. 23. sect. 7. p. 337. Zanch. I. V. de Nat. Dei c. 2. p. 620. Synodales Dordracen. in Iudicio de primo Artic. p. 32.

Neque etiam aliter statuere possunt, stante ipsorum hypothesi de absoluto electionis, & reprobationis decreto. Si ergo Deus paucos tantummodo homines absolute quodam decreto elegit, reliquos vero omnes ex eodem absolute decreto ad æternam damnationem reprobavit, tunc utique beneficia illa Dei misericordia ad paucos tantum homines restringitur, & fundamentum fidei substantiale, ad fidem apud omnes generandam, prorsus inutile redditur.

S. II. IP. Sic argumentantur: Quicunq; audiunt Deum ad peccatum homines impellere. scilicet, inclinare; 2. decreuisse ut homines pecca-

rent, 3. concurrere ad peccata. 4. occasiones peccandi preberet, illi
statuunt Deum peccati causam, & sic circa fundamentum fidei esse entia
non recte docet, sed illud evertunt.

Calviniani hoc faciunt. Ergo
Minor à nobis latè probatur infra in *Loco VII. in Examine censu-*
rv qvæst. 2. 5. & 6.

§. 12. *Paræus* qvidem in *Irenico* c. 28. Artic. 3. p. 248. ut & alii con-
queruntur, *hanc doctrinam* *ipsis falsò imputari*. Sed huic prætextui
reclamant propria testimonia, ipsorumq; hypotheses. *Paræo* itaq; va-
jam dudum Orthodoxi aliud ostenderunt. Vide in primis *D. Ger-
hard. Part. I. disput. p. 29. seqq. D. Menzer. in Exeg. August. Conf. p.
797. D. Echard. in Fas. p. 211. D. Dannenbauer. part. I. Hodom. Spir.
Calv. p. 938. seqq.*

§. 13. III. Sic inferimus: *Per quæcumq; doctrinam unio duarum*
in Christo naturarum dissolvitur, ea fundamentum fidei esse entia con-
venit, & Christum talem facit, in quem fiducia tutò poni non potest.
Per Calvinianorum doctrinam unio duarum in Christo naturarum dis-
solvitur. Ergo.

Major patet inde, qvia actus officii Christi requirunt operatio-
nis communionem, proinde naturarum quoque operantium com-
munionem, arctissimamque conjunctionem. Cessante ergo unione
naturarum, cessat communio actuum officii Christi; deficiente au-
tem communione actuum officii Christi, evanescit fiducia, benefi-
ciis per actus illos partis, innixa.

Minorem probamus hoc modo: *Quæcumq; doctrina 1. Unionem*
per nudam sustentationem carnis in hypostasi filii describit; 2. negat U-
nionem factam esse ad constituendum unum υΦισάμδρον. 3. negat hypo-
staseos communicationem; 4. negat τέλεχωγον naturarum, illa uni-
onem duabus naturis constantem solvit.

Calvinianorum doctrina hoc facit. Ergo.
Majoris ratio est hæc, qvia omnis personalis unio infert αδιά-
στον, οὐδὲ αδιάστατον τέλεχωγον naturarum unitarum.

§. 14. Minorem nemo Calvinianorum negabit, cum hæc sit publi-
ca ipsorum doctrina, qvæ propterea omnipræsentiam carnis Chri-
sti cane pejus, & angue odit. Patebit hoc satis quoque ex *Loco III.*
de Christo. Ex abundanti tamen nonnulla hic subjiciamus testi-
monia.

Qvin-

Quinque itaque hic nobis sunt probanda. 1. quod unionem per sustentationem nudam definiunt carnis in hypostasi, id patet ex Bezae in Colloq. Mompelg. p. 245: *Nos dicimus, quod humanitas à λόγῳ tan-tum sustentationem accipiat.* Idem scribit Palat. de Kednalon in Dial. de Personal. Union. p. 7. *Martyr. Dial. f. 10.* Nec ipse Vendelin. hic dissentit. Ita n. l. i. Th. Chr. c. 6. p. 253: *sufficit sustentatio assumpta natu-ra hypostaticæ, seu personalis, per quam hypostasis ἐλόγος verè sit homo.* Hæc nuda sustentatio autem non sufficit ad descriptionem unionis personalis, propterea, quia etiam Petrus, Paulus, immo quivis aliis homo sustentatur à λόγῳ. 2. Quod negant, Unionem esse factam ad constituendum unum υΦισάμφων, manifestum est ex ipsorum testi-moniis. *Daneus in Exam. Chemn.* p. 83: *Anima, & corpus coalescunt ut unum υΦισάμφων constituant, in Christo vero occurrit humana natu-ra ad hypostasin verbi, nullumq; momentum, aut fundamentum τῷ υΦισάμφων confert natura Christi humana, ut Christus sit, seu subsistat, ut persona, sed tantum ad personam jam existentem, & per se plenè sub-sistentem fuit adjuncta; non est autem tūm demum unum υΦισάμφων constitutum.* Idem sentiunt quoque alii.

3. Eos negare hypostaseos communicationem, passim videre est. Ita Grabius in Refut. lib. 1. D. Hunnius de pers. Christi p. 49. appellat mon-strosam verborum formam, cum dicitur, λόγον ζωδιασιν suam realiter communicasse carni. Combachius de Commun. Idiom. c. 14. p. 138. Ne-gamus esse consequens: *Natura humana est assumpta in unitatem perso-næ ἐλόγος; Ergo hypostasis est communicata naturæ humanae.* Imo con-trarium seqvi afferimus. Wendelinus Exercitat. IXL. p. 710: *Nec natura divina, nec persona communicatur humana naturæ vestro sensu.* Idem scribit l. i. Th. Chr. c. 16. p. 354.

4. Eos quoque inficiari, & repudiare φειχώησιν naturarum, scrip-ta eoru passim testantur. Nos hoc ita ostendimus: *Qvicunq; di-vinam Christi naturam ita dicunt esse intra carnem assumptam, ut si-mul sit extra eam, illi negant φειχώησιν naturarum.* At qui Calvi-niani dicunt, divinam Christi naturam ita esse intra carnem assumptam, ut simul sit tota extra eam. Ergo.

Major est satis clara. Nam φειχώησις hæc requirit αδιδαστόν, nō αδιδαστόν unitorum præsentiam, ita ut nullibi sit unitorum unus, ubi alterum non sit. Ratio hæc fundatur in dicto Apostoli Col. 2, 9.

EY

Ἐντὸς κατίκει πᾶν τὸ σληνωμα τῆς Γεότης. Hæc autem plenaria inhabitatio consistere amplius non potest, si negetur illa ὑπερχώρεσις, & tota Deitas & λόγος extra carnem statuatur. Quid enim est extra, quatenus, & quamdiu est extra, id eatenus intra, & unitum esse nequit, & contra: quicquid est unitum, quatenus est unitum, id ipsum extra non est.

Minor apud ipsos est in confessio. Constans enim est eorum doctrina, totum λόγον ita esse in carne, ut totus sit etiam extra carnem. Ita Zanchius l. 2. de Nat. Dei c. 6. p. 157. *divina natura tota est in humana, & tota etiam extra humanam.* Idem scribit Pezel. part. I. Obj. p. 177. Sobnius in Exeg. Aug. Conf. p. 207. D. Job. Crocius in def. 2. Part. Convers. Pruten. p. 409. D. Conrad. Bergius in Praxi Catol. p. 769. Admonit. Neostad. c. 8. p. 345. Vendelin. l. 1. Th. Chr. c. 16. p. 359. edit. Hanov.

s. 15. Hisce præmissis, ita concludimus: *Soluta unione hypostatica, solvitur quoque fidei fundamentum esse entiale. Atque per Calvinianorum hypotheses, unio hypostatica, & communio naturarum solvuntur. Ergo.*

Minor hactenus satis fuit probata. Si nunc unio hypostatica, & communio naturarum tolluntur, tollitur quoque communicatio idiomatum, & sic cadit finis proprius, & primarius hujus unionis, qui consistit in satisfactione justitiae Dei pro peccatis hominum. Nam nudus homo non poterat justitiae Dei satisfacere. Hinc necessarium fuit, ut Deus assumeret naturam humanam, & in illâ paterneretur. Ens enim infinitum læsum erat. Et sic satisfactio quoque infinita requirebatur, quæ à nudo homine præstari non poterat. Rectissime hinc D. Nicol. Hunnius in citat: *Διασκέψ. de fundam. diss. Luther. & Calvin. p. 533. sublatâ, vel negatâ communione idiomatum, cadit finis proprius, ac primarius hujus Unionis, qui est justitia Dei pro peccatis hominum satisfacere, paenam omnium hominum peccatis debitas ferre, ac superare. Satanam vincere, infernum destruere, cœlum aperire, & cum Deo Patre nos reconciliare. Ratio est, quia filium Dei oportuit istos fines consequi per passionem, mortem, & resurrectionem, Hebr. 2, 14. Ceterum justitiae Dei pro peccatis hominum paenas ipsorum vice sustinendo, satisfacere, pati, mori, resurgere, non possunt competere λόγῳ per naturam. Ergo unicè per assumptam carnem. Viscissimum nudus homo non potest justitiae Dei satisfacere, diabolum vincere, infer-*

) 9 (

infernum destruere, cælum aperire, & Deo nos reconciliare. Itaq; ut
ο λόγος pateretur, Dominus gloriae crucifigeretur, 1. Cor. II, 8. necessariū
fuit, naturam divinam venire in communionem patibilitatis, qvæ est
proprietas humana: rursum ut nudus homo pateretur, & tantum pondus
passioni adderetur, necessarium fuit, carnem fieri participē omnipotentie
divinae, ut sic potentissimo actu, & efficacissimā passione per mortem dia-
bolus destrueretur, nos livore ejus sanaremur, morte delicta expiaren-
tur, & resurrectione justitia redderetur; qvæ effecta omnia ex actioni-
bus & passionibus divinis, humanisq; mixta, certissimè testantur, commu-
nionem, & concursum mutuum proprietatum divinarum humana-
rumq;.

§. 16. Satis, ut opinor, demonstravimus, Calvinianos substantia-
le fundamentum fidei evertere, & ad fidem generandam inutile reddere.

§. 17. Ostendamus nunc, ipsos etiam circa fundamentum fidei or-
ganicum non rectè docere, sed illud destruere. Argumentamur
ita: Qvicung; verbo Dei in conversione hominis omnem derogant vim, &
efficaciam, illudq; assertionibus suis nobis incertum, & dubium reddunt,
illi fundamentum fidei organicum evertunt, & fidei generanda inutile
reddunt.

Atq; vi Calviniani hoc faciunt. Ergo.

§. 18. Major suâ radiat luce. Minor duo continet membra, qvæ
sigillatim probabimus. Primo, Calvinianos verbo Dei in conversio-
ne hominis omnem derogare vim, & efficaciam, ostendunt non tan-
tum ipsorum hypotheses, & distinctiones, qvando distingvunt in-
ter vocationem internam, & externam, inter vocationem prædicatio-
nis, & illuminationis, &c. sed & propriæ Confessiones. Qvò itaque
candido Lectori hoc palam fiat, nonnullas allegabimus. Maccobius
disputat. de Prædest. th. 2. Deus, inquit, præter prædicationem verbi
sui uititur vi aliâ agendi physicâ in conversione hominis. In Synodo Dor-
drechtana passim etiam ita loquuntur. Geldri in Judic. Provinc. p. 225.
editionis Dordrechtanae, qvam semper allegamus, ita hanc rem de-
finiunt: Concludimus, ubicung; vocatus non credit, & convertitur, ibi
efficacem non esse vocationem, & proinde ibi Spiritum S. non concur-
rere cum vocatione externa; Multi enim vocantur, per ministerium
hominum, qvos Deus non vocat, sive Spiritus S. Gallo-Belgæ p. 306. ita
scribunt: Externa vocatione sive per librum naturæ, sive per verbum, non

B

est

est sufficiens gratia ad conversionem. Idem afferunt *Utraliudicini* ibidem p. 255: *Ut homo regeneretur, & illuminetur, non sufficit externa illa revelatio per scripturam, aut prædicatum verbum, sed necesse est, ut ad eam peculiaris Spiritus S. operatio, ab ipsa verbi operatione distincta accedat.* Idem judicant *Hassii* in *Judic. Exter.* p. 190: *Deus potentissimâ, efficacissimâq; suâ operatione voluntatem, ut reipsa obtemperet, immediate inclinat, & flectit.* Sed quid multa? *Ipse Vendelinus* expressè hoc quoque fatetur in hoc ipso libro, quando *Loco XVI. in Cens. qvæst. 3. p. 300.* ita scribit: *Quid obstat, quod minus Deus per Spiritum S. sine externo verbo, in aures incurrente, salutariter illuminare posset hominem, sive adulum, sive infantem?* Negat hoc qui dicunt, illicò reisunt *Anabaptismi.*

§. 19. Exinde sic colligimus: *Si externa revelatio per Scripturam, aut revelatum verbum non sufficit, ut homo regeneretur, sed si Deus immediate hominum voluntatem flectit, & inclinat, tunc sequitur, quod Scriptura S. in conversione hominis nullam habeat efficaciam, & per consequens, quod ad fidem generandam prorsus sit inutilis.*

Antecedens est verum. Ergo & Consequens. Jam quicquid ad fidem generandam est inutile, illud non potest esse fidei fundamentum organicum. Scriptura S. juxta hypotheses, & assertiones Calvinianorum talis est. Ergo.

§. 20. Deinde quod Calviniani per doctrinam suam verbum Dei nobis etiam dubium, & incertum reddant, & consequenter fundamentum fidei organicum evertant, facile probabimus. Argumentum ita: *Quicunque voluntatem Dei in verbo patefactam in dubium vocant, illi verbum patefactum subruunt, & fidei generandæ inutile reddunt. Calviniani per suam doctrinam hoc faciunt.* Ergo.

Major est manifesta. Qvis enim verbo patefacto fidem adhiberet, si non exprimit veram Dei voluntatem?

Minor ab illis negari non potest. Nam verbum testatur, *Dei voluntatem esse, ut omnes homines salvi fiant, 1. Timoth. II, 4. Deum non velle, ut ullus pereat, sed ut omnes ad pœnitentiam convertantur, 2. Petr. III, 9.* Calviniani autem hoc negant, & publicè afferunt, Dei voluntatem hanc non esse, ut omnes salvi fiant, sed occultam ejus voluntatem esse, ut pauci tantum homines salvi fiant. Sic quando *Johannes* publicam Dei voluntatem ad omnes Judæos his profert verbis

verbis: pænitentiam agite, *Luc.* III, 8; tunc ex mente eorum ; occultum Dei verbum, & voluntas hæc est: *Non omnes agite pænitentiam.*

§. 21. Sed qvò de totâ hâc re eò melius, *Candidus Lector* judicare possit, neqve Adversarii conqueri possint, sibi injuriam fieri, ex propriis testimoniis illos convincamus. *Joh. Piscator Volum. 2. Thes. Theol.* p. 200. ita scribit: *Deus interdum verbo significat, se velle, quod revera non vult.* Idem Piscator p. 243. hæc impia profert verba: *Non semper, sed in omnibus verum est, Deum, quod lingua proficitur, idem est velle.* Embd: in *Synod. Dordr. in Jud. Exter. Th.* p. 224: *Matt. XXIII, 37.* dicit Christus: *quoties volui aggregare liberos tuos!* Hæc verò Deitatis sua voluntas per Prophetas explicata, non fuit voluntas beneplaciti, alioqui fuissent omnes aggregati, sed fuit voluntas signi, qvâ Deus, quid ab hominibus fieri, vel omitti velit, declarat, quam pro sua sapientia sic ipse patefacere placet, non ut eos fallat, sed ut ipsorum bonum promoveat. Gröningenses, & Omlandii in *Jud. Prov.* p. 299: *Deus dupliziter dicitur velle operari (conversionem), impropriè de voluntate signi; nam hæc impropriè dicitur Dei voluntas, sed hoc respectu possumus Deo resistere, operari volenti, si nimis verbum ipsius, potius opprimere, quam audire velimus, sed quando Deus vult operari secundum voluntatem beneplaciti, quæ propriè Dei voluntas dicitur, huic nemo unquam resistit, quò minus ea voluntas fiat.*

§. 22. Si ergo hæc Calvinianorum assertiones sunt veræ, & si Deus in verbo significat, se velle, quod non vult, tunc verbum Dei veram ejus voluntatem non exprimit, & sic utique nobis dubium, & ad veram fidem generandam inutile redditur.

§. 23. Etiamsi nunc hæc sufficere poterant, quæ jam proposita fuere, & ex dictis assertionis nostræ veritas fatis pateat, ex abundantia tamen argumentamur ita: *Id omne, quod conceptui intrinseco divine voluntatis correspondet, est propriè voluntas Dei.* Verbum in scripturâ revelatum, non est propriè voluntas Dei. Ergo verbum in scriptum revelatum non correspondet intrinseco conceptui divine voluntatis.

Minor probatur, quia quod in scriptura pro Dei voluntate venditatur, non est Dei beneplacitum, sed tantum voluntas signi. Ita e-

nim expresse Embdani in verbis paulò ante adductis: *Hac Deitatis voluntas per Prophetas explicata, non fuit voluntas beneplaciti, alioquin fuissent omnes aggregati, sed fuit voluntas signi.* Absurda alia, quæ inde seqvuntur, vide in *Disputat. nostr. de Grat. Irresistib. §. 93. seq.*

§. 24. Restat, ut demonstremus tandem, Calvinianos etiam non rectè docere circa fundamentum fidei dogmaticum, illudqve simul evertere. Dogmaticum fidei fundamentum diximus supra §. 6. esse illam doctrinæ cœlestis partem, ad quam cetera omnia dogmata, tanquam propter ipsam revelata referuntur, & ex qua, tanquam ex sufficiente, & immediata causa fides resultat. Tale autem fundamentale dogma asserimus, esse illas propositiones: *Deus vult omnes homines salvos fieri;* Et, *Christus pro omnibus hominibus est mortuus, gratiamq; omnibus impetravit.* Hoc itaqve dogmate fundamentali fides vera, tanquam fundamento nititur. *Nisi enim, inquit, D. Nicol. Hunnius c.l. p. 198. fides sit inanis opinio, aut enthusiastica persuasio, sed vera, solidag; fiducia, petræ verbi divini innixa, aliter illa nec concipi, neg; concepta cognosci potest, nisi unicè ex hoc verbo:* Deus vult omnes homines salvos fieri, & Christus gratiam Dei omnibus hominibus impetravit. *Quo posito, sic subsumit quivis auditor: Ego sum homo; Et concludit: Ergo Deus me vult salvum fieri. Et: Christus gratiam Dei mihi impetravit, quæ est fides Christiana. Aliud verbum nemo exco- gitando invenire poterit.*

§. 25. Hisce præsuppositis ita argumentamur: *Quicunq; ne- gant 1. Deum omnes homines velle salvos fieri; 2. Christum pro omnibus hominibus, nullo excepto, esse mortuum illi evertunt fundamentum fidei dogmaticum, & fidei generandæ inutile reddunt. Calviniani hoc faciunt. Ergo.*

§. 26. Major ex iis, quæ modo diximus, satis constat. Neqve ipsimet Calviniani negare possunt, hoc esse fidei fundamentum, quod jam assignavimus. Hinc *Confessio Gallicana* p. 104. 105. th. 18. ita ait: *Omnis virtutum, & meritorum opinione abjecta, in sola Jesu Christi obedientia prorsus acquiescimus, quæ quidem nobis imputatur, tūm ut tegantur omnia nostra peccata, tūm etiam, ut gratiam coram Deo nanciscamur. Deniq; credimus, non posse nos, si vel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire, ubi acquiescamus, sed potius inquietos semper fore, quoniam pacem cum Deo habere non possumus, donec certè*

certò nobis sit persuasum, nos in Jesu Christo diligimus, quoniam in nobis ipsi omni odio digni sumus.

§. 27. Deinde fatentur, promissiones, quibus fides nititur, opertore esse universales, cum particulares nihil concludant. Ita *Paræus* in scripto *Synodo Dordrechtae transmissio Sess. 98. p. 252:* supponunt, (Remonstrantes) multos, pro quibus omnimodo mortuus est Christus, damnari. Id falsum esse, Apostoli exclamatio arguit, quis condemnabit? Christus est, qui mortuus est, Rom. IX, 34. Hæc enim consolatio Apostolica vana esset, nisi supponeretur universalis, neminem pro quo Christus mortuus est, condemnari. Ad hanc enim piæ mentes firmiter subsumere possunt: Pro me Christus est mortuus; & concludere; Ergo non condemnabor. Hæc est Christiana consolatio ex Christi morte. Hanc verò isti destruunt, pro universali particularem supponentes: Aliqui, pro quibus Christus mortuus est, non condemnantur. Ex puris enim particularibus, quæ esset consecratio? quæ consolatio?

§. 28. Largitur ergò nobis *Paræus*, quod volumus, nimirum propositiones, è quibus fides nascitur, debere esse universales. Idem fatetur *Ludov. Crocius* in synt. I. 4. c. I. §. 5. p. 962. Postquam enim ex Job. 3, 16. demonstraverat, objectum gratiæ miserationis, esset ibidem genus humanum, ut peccato inquinatum, & per mundum, isto in loco, non solos electos (quæ alias communis est Calvinistarum opinio) sed totum genus humanum universè sumptum intelligi, tunc duas rationes subjicit, ob quas Christus hâc loqvendi formulâ usus fuerit. Prior, inquit, respicit Judeos & gentiles, ut nempe sciamus, Deum non solos Judeos ita dilexisse, quemadmodum fibi perperam persuaderant, se solos esse dilectum Dei populum, verum etiam gentiles, ut liquet ex Job. XI, 51, 52. Posterior respicit omnes tentatas conscientias, ut videlicet sciamus, neminem hominum absolute à gratia Dei exclusum esse, præter eos, qui sese propriâ suâ impunitentiâ, & incredulitate ab eâ excludunt.

Fatetur itaq; *Crocius*, tentatas conscientias solatium nullum posse habere, nisi adsint propositiones universales, vel quod idem est, nisi, ut ille loquitur, sciant, neminem hominum absolute à gratia Dei exclusum esse.

§. 29. Imò nec ipse *VVendelinus* evidentiâ hujus argumenti convictus, audet universalitatem hisce propositionibus profus adi-

mere, qvanqva limitationem conetur adjicere. Hinc Exercit. LXX. §. 7. p. 1151. ita scribit: *Reqviri ad consolationem, & certitudinem, propositiones aliquo modo universales, sub quibus subsumi posse, & conclusio inferri necessaria non inficior.* Paulò post autem negat, propositiones absolutè universales reqviri. Sed hæc limitatio est falsissima. Si enim propositiones illæ non absolutè sunt universales, tunc apud tentatas conscientias nunquam conclusio necessaria inferri potest. Nam qvod rectè scribit Pareus c. l: ex puris particularibus, (qvi bus ejusmodi restricta universalitas æqvipollit) *qvaæ consecutio? qvaæ consolatio?* Si ergò tentatus veram consolationem, & firmam fidem haurire debet, tunc omnino reqviritur, ut ipsi proponas *propositiones absolutè universales*, ut scilicet sciat, uti Crocius rectissimè ait c. l. (qui hic *VVendelino* in faciem contradicit) neminem hominum absolutè à gratia Dei exclusum esse, præter eos, qui sese propriâ suâ impœnitentiâ, & incredulitate ab eâ excludunt. Hâc de re bene quoque judicat *Collegium Theologicum VVittebergense*, quando in *Antapolog.* p. 322. ita scribit: *Non potest quis fiduciam in Christum è scripturâ S. concipere, ac credere, qvod pro se mortuus sit, nisi hoc ratum ei sit, Christum pro omnibus moriuum esse.* Nam qui applicare sibi meritum Christi vult per fidem, è scripturis certus esse debet, meritum Christi ad omnes pertinere. *Applicatio individualis satisfactionis Christi, non habet locum, nisi universaliter pro omnibus satisfecit Christus, &c.*

§. 30. Supereft nunc, ut Minoris veritas ex §. 25. manifesta fiat. Lucem illa accipere potest ex §. 10. ubi non pauca testimonia, huc facientia adduximus. Qvædam adhuc ex *Synodo Dordrechtana* subjungamus. In *decret. Synodi* c. 1. p. 7. hoc legitur conclusum: *Deus quosdam ex liberrimo, justissimo, irreprehensibili beneplacito decrevit, in communi miseria, in quam sese suâ culpâ præcipitarunt, relinquare, nec salvificâ fide, & conversionis gratiâ donare.* Item c. 2. p. 22. rejiciunt sententiam eorum, qui docent, Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex aequo ea beneficia voluisse conferre, qvæ per mortem Christi acquiruntur. Cui allubescit, videat etiam in *Actis dictæ Synodi in Judic. Extr. Palatinos.* p. 108. *Hassiacos* p. 115. *Helvetios* p. 121. *Genevenses* p. 130. qui multis verbis hanc erroneam propugnant sententiam.

§. 31.

E B

§. 31. Satis ergò exinde videmus, Calvinianos fundamentum quoque fidei dogmaticum everttere, & læsi fundamenti omnino reos esse.

§. 32. Etiamsi ergò jactent, sese Religionis suæ habere vera fundamenta, credere in DEUM verum, Christique merito nitī, &c; attamen quia fidei fundamenta per falsa ipsorum dogmata evertuntur, nec Religio talis potest esse vera. Rectè enim D. Ramburtius Tom. 2. disput. Sedanens. p. 223. *Satis non est, retinuisse Religionis fundamenta, si ea aut aliis fundamentis subruas, aut eis idolum apponas, aut super ea fidem tuorum firmari non sinas; quæ omnia in doctrinam Pontificiorum (nos addimus, & Calvinianorum) concurrunt.*

CAP. II.

**Examinans Calvinianorum exceptiones, quas nobis hic
opponere solent, ubi in primis Wendelini, & D. Conradi Bergii responsiones ponderantur.**

§. 33. **S**atis hactenus demonstravimus, Calvinianos læsi fundamenti omnino reos esse, & in fundamentalibus fidei articulis à nobis dissentire. Quia verò contraria juxta se posita magis elucent, hinc lubet adversæ partis replicam audire, nostramque illi subjungere responsionem. Movent autem hic præ cœteris omnem lapidem *Wendelinus, & D. Conr. Bergius*, qui in *Praxi Catbol. dissert. VI.* p. 744. seqq. *D. Nic. Hunnii diacone* *de fundamentali dissensu Lutheranorum, & Calvinianorum* impugnare tentavit. Operæ ergò pretium facturi sumus, si *VVendelini, & D. Bergii* exceptiones ponderaverimus.

§. 34. Capite præcedente *triplex* posuimus fidei fundamentum, videlicet 1. *Essentiale*, quod est Deus Trinus, tanquam prima fidei causa; 2. *Organicum*, seu ministeriale, quod est DEI verbum, seu Scriptura; 3. *Dogmaticum*, quod est prima cœlestis doctrinæ pars, ad quam cœtera omnia dogmata, tanquam propter ipsa revelata referuntur, & ex quâ tanquam sufficiente causa fides resultat.

§. 35. Probavimus quoque, quod triplex hoc fidei fundamentum evertant, & fidei generandæ, inutile reddant Calviniani. Quid illi regerant, nunc videbimus!

§. 36.

§. 36. Fundamentum fidei Essentialē illos subruere, & fidei generandæ inutile reddere, *evicimus inde, qvia i. doceant, Deum absoluto qvōdam decretō maximam hominum partem ad damnationem reprobasse.* Diximus, qvod stante hāc hypothesi, essentialē fidei fundamentum necessariō convellatur, cūm fides tali fundamento niti non possit, à qvo salus animæ, respectu omnium non dependeat.

§. 37. Excipit *VVendelinus in Collat. Doct. Ref. p. 17.* ita : *Voluisse Deum omnes, & singulos homines per Christum redimere, omnes & singulos sibi reconciliare, & eternū beare, falsum, & Scripturæ contrarium est, & hoc qui negat, fundamentum fidei minimè lēdit, sed pro conservando eo, & scripturā, à falsis glossis vindicandā militat.* Nec aliter ferme *D. Conr. Bergius,* nisi qvod simul neget, hanc doctrinam constituere fundamentum qvoddam fidei. Ita enim in *Praxi Cathol. Dissert. VI. p. 795.* Negamus, esse tām absolutē necessarium ad salutem, & qvāsi lapidem angularem, sine qvo fundamentum nullo modo possit subsistere, id qvod dicit (*D. Hunnius*) de omnibus, & singulis hominibus, nullo excepto. Hæc ita disertè in scripturis nusquam leguntur.

§. 38. Resp. Doctrinam hanc, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, (qvam convellit horrenda illa sententia, Deum ex absoluto decreto maximam hominum partem ad aeternam damnationem reprobasse) maximopere necessariam esse, & fundamentum fidei constituere, est certissimum. Nam si Dei bonitas, & misericordia ad omnes sese non extendunt, & si Deus ex absoluto odio maximam hominum partem reprobavit, qvo modo, qvælo, fides in non credente generari, & tali fundamento niti potest, de qvo audit, qvod paucarum tantummodo animarum salus ab eo dependeat? Causa itaque fidei, & salutis, est misericordia Dei, & meritum Christi, sub ratione universalitatis, qvia fidem, hoc est, applicationem individualem procreat, non aliter, qvām qvā ad omnes sese extendit. Qvamdiu ergò hanc absconam, & impiam sententiam propugnant, Deum maximam hominum partem ex absoluto decreto ad damnationem reprobasse, imò ad causas damnationis creasse, tamdiu fundamentum hoc fidei firmum stare non potest, sed convellitur.

§. 39. Qvando autem *Bergius.* & *VVendelinus* asserunt, in scripturā disertè nusquam legi, Deum velle, ut omnes, & singuli, nullō excepto,

ptō, salvi fiant; id pronunciatum audax, temerarium, & falsissimum est. Quid enim clarius esse posset, qvām hæc scripturæ oracula? Deus vult, ut omnes homines salvi fiant, 2. Timoth. II, 4. item; Deus non vult, ut ullus pereat, sed ut omnes ad penitentiam convertantur, 2. Petr. III, 9. adde Job. I I L, 16. Rom. X. 32. Elusiones, & detortæ exceptiones, qvas hīc afferunt, nullius sunt pretii, ac jamdudum ab Orthodoxis displosæ. Confer etiam infra Examen censuræ ad quæst. XVII. Loci XIII. An itaque pro conservando fidei fundamento militet, ut *VVendelino* lubet hīc nugari, qvi scripturæ in faciem contradicit, & fundamentum hoc evertit, judicet æquus Lector!

§. 40. Hactenus primum nostrum argumentum vindicavimus. Succedit secundum, qvod extat §. II. & tale erat: *Opicung, statuunt, Deum 1. ad peccata homines impellere, & flectere; 2. decreuisse, ut homines peccarent; 3. Concurrere ad peccata. 4. occasiones peccandi præbere, illi statuunt Deum peccati causam, ac essentiale fidei fundamentum convellunt.* Calviniani hoc faciunt. Ergo

§. 41. *Wendelinus* in Collat. p. 9. negat Minorem, nec admittere vult, se Deum facere causam peccati. Verba ipsius c. l. hæc sunt: *ex parte nostra Deum peccati, quatenus est peccatum, authorem non facimus; adeò ut lexi fundamenti hæc in parte, jure minimè possimus accusari.*

Resp. Manifesta, & clarissima testimonia à nobis adducuntur Loco VII. in Exam. cens. quæstionis 2. 5. & 6. qvæ aliud demonstrant.

§. 42. *D. Bergius* c. l. p. 766. alio modo respondet. Non enim audet inficiari, Doctoribus suis sententiam hanc posse impingi, sed dicit, hoc fieri non directe, sed tantummodo per consequencias. Ita enim scribit: *Hoc non nisi alienâ interpretatione, & consequentiis probatur* (sc. Reformato's Deum facere causam peccati) *qvas Reformati non agnoscunt, sed refellunt. Consequentiae vero, qvæ non sunt planae, & concessæ ab omnibus, sed controversiæ multis & perplexis implicitæ, qvamvis per se veræ, ac firmæ essent; tamen ad ostendendam falsitatem, tantum sententia alicujus ab absurdo consequente, utiliter adhiberi possunt, ad probandum autem errorem in fundamento non sunt sufficietes.*

§. 43. Resp. i. Veterum fuit diverbum: *Bonus vir ponit antecedens. & non negat consequens.* Hoc si Calviniani observarent, tam absurdum non essent, ut consequencias ex præmissis legitimè deductas negarent.

2. Modus per consequentias argumentandi, non heri, aut nudius tertius fuit introductus, sed jam olim usurpatus, imo à salvatore Christo, & Apostolis adhibitus. Sic Pharisæi videri noblebant, se esse violatores legis divinæ per *Corban*. At per consequentiam sunt convicti à Domino, *Matth. XV. v. 4. 5. 6.* Pseudoapostoli noblebant videri hostes Christi, qui imposuerint jugum importabile. At hoc nomine sunt damnati, *Aet. XV, 10. Gal. VII, 21.* Nestoriani similiter noluerunt videri, se statuisse duas personas in Christo, & solvisse Christum, qui error erat fundamentalis; At per consequentiam fuere convicti. Rectè ergo *Collegium Theol. Witebergense in Antilog. contra Rintelenses*, qui hac in parte Calvinianis patrocinantur, *cap. XIII. p. 301.* *vnae sunt hæ exceptiones, & frivole, consequentiae enim vim suam obtinent, sive agnoscante eandem veritatis hostes, seu non. Et Christus, & Apostoli consequentiis urgere Adversarios sunt soliti, quorum vim ipsi non admittebant.*

3. Planè inepta est *Bergii* exceptio, consequentias ad probandum errorem in fundamento non est sufficientes. Unde hoc probabit Bergius? Nestoriani errores circa fundamentum fidei fovebant, quos ipsi agnoscere noblebant, per consequentias autē fuerunt oppugnati, convicti; qui mos nunquam non fuit frequentatus.

4. In hâc controversiâ non nudis consequentiis, sed apertis simul testimentiis urgemus Calvinianos. Vide, quæ à nobis adducuntur infra in *Exam. Cens. quæst. VI. Loci VII.*

§. 44. Quid ad tertium nostrum argumentum excipient, nunc dispiciamus! Propositum illud fuit §. 13. & ita habet: Per quamcunque doctrinam unio duarum naturarum in Christo solvit, illa fundamentum fidei esse convellit, & Christum talem format, in quem fiducia tutò poni non potest. Per Calvinianorum doctrinam unio duarum naturarum in Christo solvit. Ergo:

§. 45. *Wendelinus in Collat. p. 3.* hæc regerit: *Quamvis in diversis questionibus locum hunc (de persona Christi) attingentibus dissentiamus à Lutheranis, tamen in multis quoq; cum iisdem consentimus. Per dissensum verò nostrum minimè evertimus fidei fundamentum. Consentimus autem uti in multis (quæ ibidem recenset, quamvis consensus sæpiissimè sit fictus, uti in Loco III. patebit) ita etiam in nouaria mutua, & arctissimâ idiomatum, seu proprietatum, & duarum naturalium,*

rarum, et si in modo concordias dissentimus, ita tamen ut per nostram sententiam fidei fundamentum minimè evertatur, sed illibatae relinquuntur naturae, persona, & idiomata, &c.

§. 46. Resp. i. Concedit *Wendelinus*, quod in multis hoc in Article à nobis dissentiant, negat autem, quod per hunc dissensum fundamentum fidei evertatur. Sed non sufficit negare, verum negationis rationes quoque debebat afferre, quas hic desideramus. Argumentum ergo nostrum adhuc stat firmum.

2. Falsissimum est, Calvinianos nobiscum consentire in communicatione mutuâ, & arctissimâ proprietatum, & duarum naturarum, in modo autem communicationis tantum esse dissensum. Nam non in modo tantum communicationis, sed in re ipsa est dissensus. Negare hoc *Wendelinus* non potest. Hinc eodem in libro Loco III. p. 183. ita scribit: *Immensa dona humanæ naturæ possunt dici data per unionem personalem, non per communicationem ex unione profectam. Uniuntur enim humanæ naturæ idiomata divina cum naturâ divinâ, ita tamen, ut nec divinæ naturæ communicentur idiomata humana, nec humanæ idiomata divina.* Conciliet hæc *Wendelinus*? Ac ne ullus alicui scrupulus restare posset de ipsius sententia, ponderet quæso, Lector, illa, quæ c. l. p. 85. scribit: *Qualis hæc sit communicatio, inquit, supra in responsione ad quæst. 28. ostendimus, nempe idiomatum divinorum communicatio facta humanæ naturæ, non est vel vera, vel realis, sed facta, & falsa.* Egregius ergo consensus! Si communicatio illa est facta & falsa, tunc neque communicationis istius aliquis potest esse modus, cum non entis nullæ sint affectiones, & modi.

§. 47. *D. Bergius* cautius hic progreditur, quamvis quoad rem à *Wendelino* non dissentiat. Errores enim hos crassissimos palliolo quodam tegere allaborat. Hinc c. l. p. 769. dicit, nos per consequencias hosce errores ipsis impingere, quos non admittant. Verba ipsius audiamus, quæ talia sunt: *Hic rursus absurdâ colliguntur, quæ abunde jam pridem ostensum est, non seqvi. Etsi maximè sequentur, quia tamen consequentiae, per quas eliciuntur, controversæ admodum sunt, neque agnoscuntur à Reformatis, falsitatem quidem ostenderent scholasticè, non autem catholice probarent errorem in fundamento.*

§. 48. Resp. i. Quid de consequentiis habendum sit, antea satis ostendimus. Positò, nos in hac controversiâ, tantummodo per le-

gitimas consequentias Calvinianis ejusmodi errores impingere, quod tamen non concedimus, attamen consequentiæ illæ vim suam obtinent, sive Adversarii admittant, sive non. Deinde non videmus, quid sibi velit, cum hâc distinctione, quod consequentiæ possint quidem ostendere falsitatem *scholasticè*, sed non *catholicè*. Quasi verò istæ probationes, & consequentiæ, quæ in scholis ex principiis veris deducuntur, non possint obtinere vim probandi catholicam!

2. Falsum est, quod tantummodo per consequentias hos errores ipsis attribuamus. Agnoscat saltem in Religione socium Wendelinum, cuius verba jam adduximus. Ille *λευκός Φωνής*, & absque ullâ tergiversatione fatetur, communicationem idiomatum non esse veram, sed fictam, & falsam. Jam qualis est communicatio, talis quoque est prædicatio. Si communicatio est ficta, tunc tales erunt quoque prædicationes, & per consequens ipsa unio personalis talis erit.

§. 49. Sed denuò habet *Bergius*, quod excipiat. Postquam enim D. *Hunnii* rationes, quas in hac controversia contra Calvinianos urget, summatim recensuerat, tunc p. 778. contendit, eatenus communicationem idiomatum subsistere non posse, quatenus humanæ naturæ proprietates divinæ subjectivè, & formaliter communicatæ esse dicantur, & propriè de ipsâ prædicentur. Verba ipsius hæc sunt: *Hoc, quantum capio, est quod propriè, & præcipue in hac communicationis questione negant Reformati, quod & ipsa Formula Concordiæ negare videtur, quando humanam naturam proprietates divinas formaliter, habitualiter, & subjectivè possidere negat.* De iis enim subjectis propriè, & sine tropo prædicantur proprietates, quæ formaliter, & subjectivè illas possident; de aliis igitur non sine omni tropo. Vult itaque, quia idiomata divina humana natura formaliter, & subjectivè non possidet, hinc neque etiam propriè de illâ prædicari posse, multò minus propriè, & sine tropo communicata esse.

§. 50. Resp. 1. *Bergius* communicationem quidem agnoscit, (non enim cum *VVendelino* prorsus fictam appellare vult, ne hoc fundamentum fidei penitus evertere videatur) sed quæ non fiat sine tropo. Sed talis communicatio, si rectius consideratur, nihil aliud est, quam inera verbalis communicatio, quam jam olim *Zwinglius* introduxit, & alii hactenus propugnârunt. Talis autem communicatio est absurdâ, & fundamentum fidei simul convellit. Si enim communicatio illa tantummodo est verbalis, & non realis,

tolli-

tollitur Communio naturarum operantium, & cessat Communio actuum officii Christi, imo eripitur fiducia, quae nisi debebat beneficiis, quae per actus illos erant acquisita. Confer §. 13.

2. Neque verum est, quod illae proprietates tantum propriè prædicentur de suis subjectis, quae formaliter, & subjective illis insunt. Nam ferrum ignitum non possidet ignem formaliter, & subjective, item corpus non possidet animam, tali modo; attamen vere, & sine tropo dico: ferrum est ignitum, corpus est animatum.

3. Scimus alias, quod disparata de se invicem propriè prædicari non possint. Sed hoc simpliciter non est admittendum, cum tantum de prædicatione univocâ, & essentiali intelligi debeat, non autem de denominativâ. Rectè hinc D. Gravverus in *Adsurd. Calvin.* cap. I. p. 78. quotiescumq[ue] duo quædam sive sint disparata, sive diversa, ita uniuntur, ut πως, quodammodo fiant unum, sive unum *Essentiale*, sive *personale*, sive *Accidentale*, seu per *Accidens unum*, toties etiam de se invicem propter illam *Conjunctionem*, propriè prædicari possunt, quatenus sunt unum absq[ue] ullo tropo, quamvis non οὐ νοεῖται, sed παρενθύμωσι.

§. 51. In quibus porrò à nobis h[ic] dissentiant, & fundamentum hoc convellant, patebit infra in Loco III. de Persona Christi.

§. 52. Vindicavimus hactenus argumenta nostra, quæ probant Calvinianos *Essentiale* fidei fundamentum convellere. Videamus nunc, quid excipient ad illa, quibus demonstravimus, illos etiam fundamentum fidei *Organicum* subruere. Ita autem §. 17. argumentati fuimus: Quæcumque doctrina 1. verbo Dei in conversione hominis omnem derogavit, & efficaciam; 2. verbum illud nobis incertum, & dubium reddit, illa fundamentum fidei *Organicum* evertit, & fidei generandæ inutile reddit. *Doctrina Calvinianorum* hoc facit. Ergo.

§. 53. Wendelin. in Collat. p. 1. ita excipit: *Reformati jure accusari à Lutheranis non possunt, fundamenti Religionis Christianæ eversi, vel læsi in loco de Script. S. quia Reformati consentiunt, cum Lutheranis in definitione Scripturæ S. in afferendâ librorum biblicorum autoritate, in origine authoritatis Canonica, ut & in aliis quæstionibus principalibus, de reliquis quæstionibus minus principalibus, quæ annexuntur loco de*

S. Scriptura, non adeò laborandum nobis; Interim tanti facimus symbo-
la œcuménica, qvanti & Lutherani faciunt.

§. 54. Resp. falsum est, qvod Calviniani in definitione S. Scripturæ, ut & in aliis qvæstionibus principalioribus nobiscum conveniant. Aliud ostendamus seqventi disput. II. Hoc loco tantummodo illud urgemos, qvod ipsi verbo divino in conversione hominis omnem derogent efficaciam, uti §. 18. propriis ipsorum verbis comprobatum dedimus. Neqve causa propter qvam hoc faciant, nos latet. Nimirum vi absoluti decreti, homines necessariò convertuntur. Qvia itaqve operatio Spiritus S. per verbum ad executionem istius rei ipsis videtur inhabilis, utpote qvæ rejici potest, nec necessitat voluntatem hominis ad unum oppositorum, hinc gratiam irresistibilem excogitârunt, qvæ, juxta ipsorum sententiam, est vis planè divina, à verbo separata, & immediatè conversionem hominis efficit, uti Hassi loquuntur in *Judic. Exter.* p. 190. verbum itaqve juxta ipsis consistit tantùm in repræsentatione objecti credendi, & sic planè distinctam actionem edit, ab actione Spiritus S. immediatâ qvomodo Deus immediatè dicitur cœlum creasse, & terram, id est, nullo medio interveniente adhibito. Ad hunc enim modum provocant Noort-Hollandi in *Judic. Provinc.* p. 243. & alibi passim.

§. 55. Alterum membrum argumenti nostri erat hoc, qvod scilicet verbum Dei *nobis incertum, & dubium reddant*; qvia afferunt, verbum in scriptura revelatum non esse propriè Dei voluntatem, & Deum sèpè in verbo significare, se velle aliquid, qvod non velit, quo pacto contrarietatem inter voluntatem Dei revelatam, & occultam introducant, & verbum Dei prorsus incertum faciant.

§. 56. Excipit VVendel. in *Prolegom. Tb. Christ. c. 2. & Exercit. I. p. 4.* apparentem tantùm esse inter voluntatem signi, & beneplaciti contrarietatem, non reverà talem. Paulò post p. 5. hæc subjicit: *Ad exemplum igitur, quo tantopere delectamini, breviter respondeo: vult Deus omnes (quos per Evangelii præconium vocat) salvati, voluntate signi, quâ ad viam salutis ineundam per præcepta omnes obligat, & quid per se gratum habeat, significat: Etsi in omnibus non efficit, neq; efficere vult, qvod gratum habet, & ad qvod obligat.* Huic voluntati revelatae, vel signi respondet decretum, seu beneplacitum æternum, quo ab æerno salutem hominum per se gratam habuit, & ad viam ejus ineundam obligare per præcepta eos decrevit.

§. 57. Resp. 1. Negamus esse tantum apparentem contrarietatem. Nam quæcunque sibi ut contradictoria opponuntur, inter illa non est apparens, sed realis contradictio. Atqui Deum 1. seriò velle, & desiderare omnium, & singulorum hominum salutem, in signo scilicet verbi divini, quod signum necessariò signato decreto debet correspondere; & tamen 2. apud animum suum seriò decrevisse, non omnibus, & singulis illis gratiam efficacem conferre; sunt contradictoria. Ergò.

2. Falsum quoque est, quod Deus voluntate signi obliget homines ad salutis viam ineundam, et si non velit in illis salutem efficere. Nam quomodo, quæso, Deus officii aliquem admonere, aut obligare potest, ut salutis viam ingrediatur, cum tamen salutem illi conferre nolit, nec ab æterno ita decreverit? Quomodo sine summâ hypocrisi hæc de misericordissimo Deo cogitari possunt?

3. Hisce difficultatibus Wendelinus se nunquam extricabit, quicquid etiam dixerit. Falsissimum ergò est, quod scribit Exercit. I. p. 18. *Reformatos omnes uno ore prædicare veritatem verbi divini, & dissensum conceptus divini à verbo, seu signo divino negare.* Quamdiu has hypotheses fovent, impossibile est, ut veritatem verbi divini asserere, & dissensum conceptus divini à verbo, seu signo divino negare possint. Affert quidem nonnulla *VVendel* c.l. quibus ex angustiis, & labyrintho hoc eluctari conatur, sed magis, magisque se implicat, ut cuilibet erudito Lectori appareat.

§. 58. *Bergius* ergò probè videns, quantis difficultatibus hæc urgeatur sententia, à Wendelino secessionem facit, & alio modo respondeat, quanquam haut feliori successu. Responsionem enim aliam non affert, quam quæ hactenus saepius fuit audita. Nam ad consequentiā asylū denuo confugit, & ibi clypeum arripit, quo se rursus tegere, & defendere conatur. Hinc p. 794. ita scribit: *Hæc rursus* (quod scilicet Reformatorum doctrina per voluntatem beneplaciti incertum reddat, quod scriptura tanquam certum, per voluntatem signi asserit) *per consequentias tantum nobis imputantur, quas non admittimus.*

§. 59. Resp. 1. Non sunt nudæ consequentiæ, sed rotundis verbis cōceptæ, & assertæ sententiæ, quæ antea bonâ fide fuere adductæ.

2. Etiam si per consequentias tantum argumentaremur, & horum erro-

errorum reos illos perageremus, attamen injuriam ipsis non faceremus, uti antea satis ostendimus.

§. 60. Vidiimus hactenus, qvantopere laborent, & qvomodo suident, ut ab intentato crimine, qvò læsi fundamenti tām essentialis, qvām organici accusantur, se liberent! Deprehendimus autem exceptiones eorum, qvas contra argumenta nostra proferunt, vanas, & inanæ esse. Paucis nunc etiam ponderabimus ipsorum rationes, qvibus aliis persuadere volunt, se nec fundamentum fidei dogmaticum evertere.

§. 61. Diximus suprà §. 6. dogmaticum fidei fundamentum esse hoc, ad qvod cœtera omnia dogmata referuntur, & ex qvo, tanqvam sufficienti, & immediatā causā fides resultat. Tale dogma fundamentale continet has propositiones universales: *Deus vult, ut omnes homines salvi fiant;* Et, *Christus pro omnibus est mortuus, gratiamq; omnibus impetravit.* Qvicunque nunc has propositiones universales negant, illi evertunt fidei fundamentum dogmaticum. Calviniani hoc faciunt, uti demonstravimus §. 24. seqq. Ergò.

§. 62. *VVendel.* in Collat: p. 18: ita excipit: *Affertio hujus universalitatis,* (qyod Deus omnes homines velit vocare, &c.) *non est pro fundamento, sed contra fundamentum;* uti *& contra fundamentum est, universalis misericordia, & redemptio.*

§. 63. Resp. i. Probet Wendelinus, qvod sit contra fundamentum! Nullas audimus rationes, sed nudam negationem! Rationibus certandum est, non simplici negatione, aut affirmatione.

2. Hoc ipso itaque argumentum nostrum stat inconcussum. Simplex enim negatio, sine rationibus allata, eadem facilitate rejicitur, qvā affertur. Nos supra §. 24. seqq. satis demonstravimus, fidem veram, præprimis in temptationibus, concipi & subsistere non posse, nisi adsint propositiones universales.

§. 63. *Bergius* c. l. p. 794. agnoscit, *hoc argumentum nostrum esse præcipuum, & maximam præ ceteris veritatis speciem habere.* Prolixè autem ad hoc respondet. Nos summam extrahamus, & potiora, qvæ alicujus videntur momenti, ponderabimus. i. Negat, dogmaz hoc esse fundamentale, *Deum omnium & singulorum, nullo excepto, zelle misereri, cum id disertè in scripturâ nuspiam legatur,* p. 794.

Resp. Hanc instantiam refutavimus supra §. 37.

§. 64. 2. Negat, hominem non posse credere salutariter, anteqvam sibi

sibi pleno, & explicito actu, applicet promissiones Dei. Distinctionem autem adhibet, quam his profert verbis, p. 796: *Hominem nondum credere salutariter, antequam sibi nominatim applicet promissiones Dei, saltem aliquo actu, ut non omnino desperet, concedo. At non credere salutariter, antequam sibi eas applicet, explicito & pleno actu, nego.*

§. 65. Resp. 1. Si aliquo actu homo debet sibi applicare universales propositiones, (de hisce enim hic disputamus) ut salutariter credat, tunc sequitur adhuc, illas propositiones esse necessarias ad fundamentum dogmaticum constituendum. Non enim negare audet *Bergius*, illas nullo modo esse necessarias.

2. Si tentatus eum ob finem *aliquo actu* debet sibi nominatim, applicare promissiones universales, ne omnino desperet, tunc sequitur apud Calvinianos ad præcavendam desperationem nullum superesse remedium, quia propositiones universales, quæ fundatum dogmaticum constituunt, rejiciunt, nec admittunt.

3. Negamus, tentatum salutariter ex luctâ emergere posse, nisi pleno tandem actu in promissiones universales feratur. Experientia abundè hoc testatur. Videas enim sèpissimè non paucos, qui in temptationibus constituti, aliquo quidem actu sibi applicant promissiones, sed non salutariter; nec unquam ex temptationibus salutariter eluctarentur, nisi tandem pleno, & explicito actu nominatim sibi promissiones universales applicarent, sub illis in propriâ personâ subsumerent, & necessariam inde inferrent conclusionem. Et hinc fides appellatur πληροφορια, Rom. IV, 21. Col. II, 2. Heb. VI, 11. id est, plena & firma fiducia. Bergio itaq; hic *Paræus*, & *Crocius* rectè contradicunt, supra à nobis allegati §. 27. seqq.

§. 66. 3. scribit, sufficere hic propositiones limitatas, & conditionatas, quæ efficiunt, ne tentatus desperet, de impetranda misericordia, p. 796.

Resp. 1. Antea concessit, necessarias esse propositiones universales, ut homo salutariter credat, & nominatim sibi illas aliquo actu applicet, ne omnino desperet; Jam negat, & limitatas, ac conditionatas sufficere contendit. In angustiis hisce constituti, quod se vertant, nesciunt; modo affirmant, modo negant.

2. Qvod propositiones particulares, & limitatas hic prorsus inutiles sint, abunde docuimus §. 24. seqq, & testimonia nonnulla adversariorum adduximus, qui idem nobiscum docent.

§. 67.4. Regerit, p. 752. nos posse esse contentos, si habeamus funda-
mentum latius, & abundantius, sub quo certi simus, omnia ad salutem
necessaria contineri, quod qvidem vel Compendio exprimatur, vel ple-
niori corpore sentenciarum, aut capitibus omnibus Catecheticis, aus-
toto etiam scripturarum volumine; Verbi gratia, inquit, Credi-
mus Deum nobis dimittere debitanostra, propter semen promissum, seu
sacrificium Christi, quemadmodum & nos dimittimus debitoribus no-
stris. Hoc fundamentum esse dogmaticum, quo posito in notitia, & pra-
xi, etiam fidem, ac vitam ponit: sublato contra tolli, certior esse cogor ex
oratione quotidiana, & exegesi illius Dominica, quam illud, quod D.
Hunnius post tot præcognita, & hypotheses posuit.

Resp. 1. Bergius hâc suâ responsione extra oleas vagatur, nec
scopum tangit. Disputamus jam, ex quo dogmate, tanquam funda-
mento fides nascatur, ita, ut ad hoc dogma omnia alia referantur,
Quæ itaque hic de fundamento latiori, & abundantiori affert, ad rem
planè nihil faciunt. Non enim jam queritur, An fundamentum salu-
tis in Catechismo, vel in codice Biblico contineatur, sed ex quoniam do-
gmate, tanquam fundamento fides vera proxime, & primò resulet, &
nascatur? Ad hoc debebat Bergius respondere. Ille autem afferendo, se
habere fundatum latius, scilicet Codicem sacrum, vel Catechi-
sum, in quo omnia ad salutem necessaria contineantur, nihil dicit.

2. Constanter negamus, hoc, quod Bergius affert, posse fundamen-
tum constituere fidei dogmaticum. Credimus, inquit, Deum nobis di-
mittere debitanostra propter semen promissum, quemadmodum & nos
dimittimus debitoribus nostris. Hoc fundamento posito fides ponitur,
& sublato tollitur. Falsum est. Nam si infideli hoc dogma propo-
nas, tunc fidem exinde nunquam concipiet. Si enim querit, qui
nam homines per particulā Nobis, intelligentur, quibus Deus pecca-
ta propter semen promissum velit dimittere, tunc Bergius vi hypo-
thesium suarum aliter respondere non potest, quam quod tantum
pauci sint, hoc est, Electi. Sic itaque emergit talis sensus hujus dogmatis
fundamentalis Bergiani: Credimus, quod Deus paucis, id est, solis Electis, &
præter hos nemini peccata propter semen promissum velit dimittere. Jam
querim⁹, an infidelis, hæc audiens exinde fidē possit concipere, & sibi
nominatim hoc dogma, particularē promissionem continens, saluta-
riter applicare? Imo querim⁹, an tentat⁹ per has particulares promis-
siones ex cordis angustiis eluctari, & feliciter emergere possit? Affir-
mati-

mativam qvi defendere velit, faciet contra experientiam, & omnem rationem. Rectè ergò B.D. Hulsemann in *Calvin. Irrecon.* p. 15. Luthe-
rani restrictionem hanc ad solos electos, quorum paucissimi sunt, babent
pro laqueo diaboli, & precipitio ad desperationem ducente.

3. Falsissimum itaque est, quod posito hoc fundamentali dogmate,
fides ponatur, & sublata tollatur.

§. 68. 5. Excipit, *Reformatis falso attribui, quasi negent, Deum non velle serio, ut omnes & singuli homines salvi fiant, nec sufficientia in eum finem media omnibus, & singulis subministrare, &c. multò minus Christum pro omnibus, & singulis, quos aliquando ad finitram sit collocatus, mortuum esse.* Subjicit tandem hæc p. 799: *Vix illud in quoquam privato ullius Theologi, nedum in publicis Ecclesiarum scriptis, aut Confessionibus absolute, & simpliciter negatur, à plurimis contrarium sat aperte significatur.*

§. 69. Resp. Satis demirari non possumus, *Bergium* afferere, hoc dogma, *Deum non velle, ut omnes homines salvifiant, vix in quoquam privato ullius Theologi, nedum in publicis eorum scriptis, aut Confessionibus inveniri!* *Bergius* recognoscet sua verba, quæ paulò ante p. 795. scripsérat, in scripturis disertè nusquam legi de omnibus, & singulis hominibus, nullo excepto, quod Deus eos velit salvos fieri. Qvod igitur de aliis negat, illud ipse met affirmat.

§. 70. Deinde perpendat, quæ in Synodo Dordrechtana passim publicè fuere proposita! Collegit illa fideliter *D. Menzerus in Triad. Disputatione de hæc Synod. disput.* 2. ubi lingvam Calvinianam hoc de dogmate sat dilucidè propriis ipsorum testimoniis ostendit. Quamvis verò etiam laudatus *D. Menzerus* lingvam Lutheranam, ex hæc synodo sistat, quod *Bergius* pro se adducit p. 830; attamen non eo fine facit, quasi certum sit, Calvinianos animum mutasse, & novis linguis loqui, sed potius, ut sicutum prodat, & bifidas eorum lingvas ostendat. Testimonia ergò, quæ magno numero *Bergius* corrasit, & quibus contrariam sententiam nobis persuadere annititur, nihil aliud probant, quam duplicem Calvinianos fovere lingvam. Etiam si ergò interdum orthodoxè loquantur, aliquid tamen sub pectore condunt. Similes igitur sunt illis hereticis, de quibus *Irenaeus* in *Præfat. l. i. advers. heret.* jam olim scripsit: ὅμοια λαλῶσιν, ἀνόμοια ἢ Φεγύστι, similis loquuntur, dissimilia verò sentiunt.

§. 71. Sed de hæc re jam non plura. Satis demonstravimus, *Calvi-*

vinianos in fundamento fidei essentiali, organico, & dogmatico a nobis dissentire, adeoq; fundamenti laesi, & eversi omnino reos esse. Plenius id probabimus in seqventibus disputationibus, quando VVendelini censuras super Compendium D. Hütteri per singulos locos bono cum Deo examinaturi sumus.

§. 72. Hoc sub finem addimus, mirum esse, cuicquam in mentem venire potuisse hanc absurdam assertionem, Lutheranos, & Calvinianos in nullo fidei Articulo dissentire, praeterquam uno, scilicet de Eucharistia, eoj, non toto, sed tantum de modo comestionis, nempe orali manducaione. Ita post Juellum Sarisburensem Episcopum in Apolog. pro Eccles. Anglic. fol. 76. & 77. passim apud alios legere est, in primis apud Palatinos, Evangelischer Kirchen Brüderschafft mox ab init: Paræum in Iren: cap. XIII. p. 69, ubi non veretur ita scribere: Eisi autem contentiosi qvidam, qvibus ignem dissidiorum gladio fodere est volupe, vulgo clamitant, non unum solum, sed plurima, tñd omnia prope fidei dogmata sibi nobiscum controversa esse, nesciunt tamen isti feridi vitiliatores, qvid garriant, nec coram legitimo iudicio criminationes suas unquam probabunt. Verissime enim jam inde à schismatis bujus exortu non fuit controversia Evangelicis, nisi de S. Cœna, nec de ejus doctrina tota, sed tantum de una ejus parte, eaq; ad salutem non necessaria, qvippe ex ipsius Lutheri sententia piis & impiis, communis, videlicet de corporali præsentia in pane, & orali manducaione Corporis Christi, qvam fidelibus, & infidelibus communem esse volunt. Imò alii addunt, qvoc magis mireris, non tam de reipsa, qvam de formulis loquendi, à qvibus non tam cito desvescimus, variationem esse, uti censem de Colloq; Lipsiensi ArchiEpiscopus, & Episcopi Hiberniae, in Judicio ad Duræum missio, d. 14. Maij, Anno 1634.

§. 73. Si ita est, & si tantum in unico Articulo, eoq; nec toto dissentimus, qvare tot hærefibus nos esse infectos, hæreticorumq; in castris militare clamitant? Cum Papistica Ecclesiâ colludere nos ait Admon. Nest. p. 8. & II. Hinc p. 506. ita legimus: fogetur in animis hominum his idolomania Pontificia, qvæ non nititur mutatione panis in carnem Christi, sed corporali præsentia Christi. Sive enim sub specie panis, sive sub ipso pane lateat Christus, si modô corporaliter, ibi adesse statuatur, ubi iste panis est, eadem absurda, & idololatrica commenta seqvuntur. Arianis nos accenset eadem Admonitio Nest. c. 3. p. 82. idem objiciunt Palatini in ausführlichen Bericht c. 6. p. 291. Eutychianismum, & Monothelismū in Ecclesiam nos introducere scribit VVendelinus Exercit. LIX. p. 941. Nestorianos nos esse asserit Admonit. Nest: c. 3. p. 85. Servetiana hærefoes nos accusat Paræus l. 2. Calvini Orobodes. c. 46. p. 347. Pelagianos nos reos esse, scribunt Palatini in Kurzen Anhang/ p. 127. & seq. idem facit VVendelinus Exercit. IV. §. II. p. 48. Exercit. LIX. §. 13. p. 70. & alibi pas-

sum. Plures alias accusationes cumulare supersede-
mus, simulq; hic pedem sigi-

MHS.

M. E. 5.

